



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

Luxemburgi, 1741

42. Christus Dominus, &c. Qua beatus Joannes Nepomucenus Presbyter &
Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis in Regno Bohemiæ Canonicus,
Sanctorum Christi martyrum canoni adscribitur.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANN O
1728.

14. Maii
1728.

XLII.

I.
Christus
Dominus
semper
Ecclesiam
suam
contra
hos-
tes
defen-
dit.

II.
Joh. Nepo-
mucenus
pro
figillo sa-
cramentalis
confessionis
contra
hæ-
reticos
tu-
endo, à Deo
datus.

potestatem. Non obstant, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non cultu editis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, ut ipsarum præsentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impres- sis manu Secretarii præfatæ congregationis Cardinalium subscriptis, & Sigillo Præfecti ejusdem congregationis munitis, eadem prorsus fides ab omnibus & ubique tam in judicio, quàm extra illud habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die xiv. Maii MDCCXXVIII. Pontif. nostri anno quarto, F. Card. Oliverius.

Qua beatus Johannes Nepomucenus Presbyter & Metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis in Regno Bohemiæ Canonicus, Sanctorum Christi martyrum canoni adscribitur.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Christus Dominus, qui priusquam in cælum ascenderet, suæ Ecclesiæ, supra firmam petram ædificatæ, spondit, se usque ad finem sæculi curaturum, ne ullo unquam tempore adversus eam portæ inferi prævalerent sive cruentæ persecutionum procellæ, sive impia dogmata hæreticorum, eam concuteret itentidem conarentur; quotidie sub oculis nostris suæ hujus promissionis maxima argumenta ad Christianam fortitudinem in suorum fidelium cordibus augendam, edere non cessat. Quum enim singuli fidei catholicæ articuli, ipsius Redemptoris nostri & Apostolorum ore vulgati, magnos præcones, & sanguine suo coram Tyrannis, aliisque Dei hostibus purpuratos testes habuerint, tandem repertus est etiam qui sacramentum penitentiae, secretamque peccatorum confessionem auriculari, ordinario ejus ministro sacerdoti factam, contra posteriorum ætatum hæreticos in antecessum propugnaturus, martyr invictus oppeteret: quam quidem confessionem una cum lege & obligatione divinitus lata quæ ad illius secretum attinent, religiose celandi antiquissimi Ecclesiæ Patres mi- ro semper unanimesque consensu commendaverunt, & tota Ecclesiâ ab initio observavit, ac modo sanctissime observat.

Itaque sub finem sæculi à Christo nato xiv. quum in vineam, à Christo Domino plantatam, ejusque pretioso sanguine aspersam ventus urens pravorum dogmatum irruisset, Waldensium & Albigenium insaufa fobole (Catharis nimirum, Patrenis & Manichæis) in catholicam veritatem bacchante, quæ præter alia permulta, confessionis & penitentiae sacramentum subvertere conabatur; quumque ex pestilentissimis libris Wicleffi prognata Hussitarum secta florantissimo Regno Bohemiæ immineret, per insignis Ecclesiæ Pragensis, præcipua Romanæ filia, ac totius Regni mater, filium suum Johannem Nepomucenum pro sigillo sacramentalis confessionis undequaque servando, adversus novos inferorum conatus murum opposuit; unde factum, ut Johannis constantia glorioso martyrio coronata, compluribus signis in tota Bohemia & Germania à Deo illustrari meruerit: quæ tandem hanc S. Romanam Ecclesiam, cui, auctore Christo Domino, præsidemus, permoverunt, ut virum Deo carum sanctorum Christi martyrum canoni per nos adscribendum sanciret. Priusquam verò anteaquam ceremoniam enarrare adgrediamur, maxime det- get, ut de beato Martyre aliqua proferamus, ut

illius sanctitatis memoria infidelium animos dulcius illabatur.

Nepomuci, Bohemiæ oppido, Praga in Bavariam icuris obvio, perque S. Adalbertum Pragensis antistitem & martyrem signis olim nobilitato, Johannem ineunte jam sæculo decimo quarto parentes ejus, pietate magis, quàm avorum titulis clari, precibus & votis ad Dei matrem fufis, impetraverunt. Egregia & vere Christiana pueri indoles probe exculta statim illuxit. Formula enim, presbyteris divinum sacrificium facturis interveniendi percepta, sponte sua ad cœnobium monachorum Cisterciensium, Nepomuco adjacens, primo mane decurrere, singulique Dei mystis ad aras operaturis ministrare consuevit. Adultior factus, mitioribus literis, ac poitea gravioribus disciplinis, quæ Dei obsequiis destinandum juvenem præcipue decerent, sedulo instructus, ecclesiasticæ militiæ nomen dare constituit; præmissoque in tantæ rei cogitatione mensæ ab omnibus negotiis vacuo, presbyteratum suscepit, eique in æde Pragensi beatæ Virginis, quam *Latam curiam* appellant, verbi Dei promulgandi onus injunctum est: quod à summis & disertis viris ibidem antea occupatum, tanta iple prudentia & fervore implevit, ut Evangelii semina audientium: cordibus inferens, populi expectationem æquaverit, ac superiorum, qui in eodem officio præverant, desiderium extinxerit. Hinc universis doctrinam, virtutemque Johannem collaudantibus, inter metropolitanæ Ecclesiæ Pragensis Canonicos, Johanne Archiepiscopo agente, una planè omnium voce cooptatus est, ei statim in eadem Ecclesiæ coram Caroli IV. Imperatoris filio Wenceslao Romanorum & Bohemiæ Rege IV. sacras conciones habendi, nova provincia imposita: qua Johannes pro sua modestia se frustra abdicare tentavit. Compluribus annis penitentiam contra scelera, aulæ licentiam, corruptosque mores strenuus ecclesiastes prædicavit. Wenceslao, sana ejus eloquentia victo, necdum in vitiorum sordes lapsus, multa viri Dei suafu faciente: qui tanto etiam ejus ordinandi studio incensus est, ut præcipuis Regni dignitatibus, Præpositura scilicet Ecclesiæ Wilschadenis, post Archiepiscopalem primaria, & sedis Litomislensis fastigio episcopali, ultro oblatis, Johannem honestare perciperet.

Sed ille opulento lucro animarum unice intentus, hujusmodi se honorum amplitudini generoso consilio subduxit. Ne tamen illorum contemptu in superbia notam incurreret, summum tandem elemosynarii munus à Rege, ejusque optima conjugè Johanna, Alberti Baviaræ Ducis filia colatum, accepit: in quo exercendo præclaris animi dotibus toti aulæ præluxit, & Johanna Regina, Christianis virtutibus instructissima, suæ conscientie arbitrum esse voluit: quod exemplum Pragensis arcis sanctimoniales secutæ, ad sumum perfectionis apicem, eo duce, convolarunt. Hæc prima in viro Dei sanctitatis præludia absolutam consummationem aliunde acceperunt, ubi pro custodiendo sacramenti penitentiae sigillo, nulla humana vi referando, animam suam ponere non dubitavit. Etenim labente anno Domini millesimo trecentesimo octogesimo tertio, quum Wenceslaus paternæ virtutis immemor, agente humani generis hoste, in flagitiorum abyssum præceps ruisset, piensissima Regina, viri sceleribus maxime offensa, crudelitatem ejus perhorrescens, uni Deo se totam dicere constituit, ab eo in tanta calamitate subsidium & solacium deprecatura. Sacrum propterea confessarii tribunal adire frequentius, cum lacrymis conscientiam aperire, afflictare se, egenorum curam suscipere, Deum assidue cogitare, & diu noctuque obsecrare, ut meliorem

ANN O
1728.

III.
Joh. Nepo-
muceni or-
tus, educa-
tio, & mu-
nera.

IV.
Lucro ani-
marum in-
tentus, ho-
nores re-
spuit. Fit
confessarius
Johanne
Reginæ.

conjugi

A N N O
1727.V.
Pro sigillo
confessionis
atrocissima
patitur, &
mortem
subit.

conjugi mentem daret, quem pridem à pessimo vitæ instituto revocare optans, seorsum privatim obsecrationibus sæpe numero adgressa fuerat.

Sed Rex crimina criminibus addens, piis optime Reginae officiis in furorem actus, eo prolapsus est, ut quæ illa in sacramentali confessione elemosynario atque uni Deo aperiret, ab eo sibi patefieri debere, nefario ausu contendere: magnisque hoc pollicitationibus à Johanne extorquere semel atque iterum laboravit. Mox novum Regis atrocissimum facinus in co-co, verubus transfixo, atque igne affari iussu, aliis præ horrore & stupore tacentibus, à Johanne leniter objurgatum, ejus immanitatem in Dei famulum irritavit. Quare elemosynarium contumeliosus affectum, carceri & vinculis mancipat, inde non educendum minatus, nisi Reginae confessionem pandat. At ejus contantiam in vinculis postmodum in convivio Venceslaus expugnare frustra molitus, catastæ impostum, tormentis & facibus ad latera admotis, ut secreta prodere, torqueri imperat: quo in agone Christi pugil nihil profusus, nisi suavissima Jesu & Mariæ nomina ingemans, vitam & mortem Domino commendavit. Carcere hinc dimissus, curatissime vulneribus, vir Dei secum immaniter acta prudens celavit, resumptoque pristino concionum exercitio in æde principe, quum ad populum verba illa Christi Domini protulisset, *modicum videbitis me; & jam non multa loquar vobiscum*, sibi pro Christi & Ecclesie lege occumbendum prænuclavit. Tum uberissimis lacrymis regni infortunia & eventuras brevi calamitates memorans, inque magno luctu omnes relinquens, concionem absolvit. Supremum igitur agonem sibi instare prænosens, antiquam Deiparæ imaginem veneraturus, Boleslaviam profectus, ejus prædidum vehementissimis precibus flagitavit. Inde Pragam vespere pervigili Dominicæ Ascensionis rediit, e fenestra Rex conspicuus, ad se accessit, mortem interminatus, nisi arcanas conjugis confessiones statim exponat. Sed fortissimus Dei miles intrepide reluctatus, impium facinus, quod ab se requirebatur, non voce, sed capitis, vultusque gravitate averfatus est. Mox iussu regio à satellitibus comprehensus, alio clam deportatur, noctuque manibus & pedibus vinctus, ad pontem Moldavæ, Pragam præterfluentis, deductus, in subiectum flumen præcipitatur.

VI.
Johannis
martyrium
& sanctitas
miraculis
patefacta.

Johannis eadem, quam Venceslaus latere voluerat, cœlestia statim miracula prodiderunt. Totus enim Moldavæ fluvius continuo flammis reluxit, & Martyris corpus secundo flumine, quasi facibus undique cinctum, descendens, effusam ad spectaculum civitatem attraxit, Regina ipsa sceleris nescia, conjugis necis auctori prodigium indicante: qui criminis conscientia tortus, humanum consortium triduo ferre non potuit. Postero die repertum martyris corpus, cædisque causa patefacta, ad proximam eadem sanctæ Crucis perlatum est, subinde ad metropolitanam Ecclesiam, ubi ægros quam plurimos sacrarum exuviarum contactu sanatos, vetera monumenta copiose testantur. Signis postea non paucis ac Martyris, qui Dei gloriam eloquio juxta ac silentio amplificare studuerat, loculum sepulchralem patefactis, ejus veneratio & fama sanctitatis in toto Regno Bohemiæ per medias hæresum & bellorum flammis mirifice aucta, Germaniam universam & Septentrionales ortas pervagata est. Hisce de rebus uberes commentarii, Johannis martyrium, miracula & cultum immemorabilem, minimeque interruptum recententes, ab anno millesimo septingentesimo decimo quinto ad

A N N O
1727.

VII.

Johannis
martyrium
à Romana
Ecclesia ca-
nonice com-
probatur,
& ejus lin-
gua incor-
rupta.

annum millesimum septingentesimum vicesimum in sede Archiepiscopali Pragensi publica, solemnique cæremonia confecti sunt: quo tempore invicti Martyris corpufculo juridice recognito, & carne ac membris in cineres pridem conversis, licet tota ossium compago superesset, lingua, sigilli confessionis sacramentalis inexpugnabilis custos, in ore & cranio terra pleno, prorsus incorrupta, flexilis & vivida reperta est. Hæc vero in theca honorifice inclusa, anno millesimo septingentesimo vicesimo primo in solempni supplicatione maximo Christiani populi gaudio circumlata est.

His porro commentariis ad piæ recordationis antecessorem nostrum Clementem Papam XI. alatis, perque venerabiles fratres nostros sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales, sacrorum rituum Congregationi præpositos, canonico examine comprobatis, officium sacrosanctum missæ sacrificium de eo sub ritu communi unius Martyris in Bohemia, Germania, aliisque regionibus celebrandi, sacrisque corporis ex tumulo seorsum posito, & repagulis ferreis munito, infra mensam altaris transferendi, facultas concessa est: quo translato, novisque commentariis hac de re Apostolica auctoritate conscriptis, die vicesima septima Jan. anno Domini millesimo septingentesimo vicesimo quinto sacra linguæ prodigiosa incorruptio denuò explorata, omnes quotquot adeant permultos gravissimos viros, reique anatomice peritos repentino spectaculo in summam admirationem convertit, ubi in conspectu univervorum spatio ferme unius horæ lingua subobscura à radice, quasi rubrum colorem induens & palam intumescens, hujusmodi colorem sensim in purpureum mutavit.

VIII.

Johannis
miracula
à Sede Apo-
stolica re-
cognita, &
undequaque
Probata.

Itaque per venerabiles fratres sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinales viri Dei martyrio & prodigiis coram nobis accurate recognitis atque pensis, & duobus præsertim ex recentioribus miraculis una cum iis, quæ ad linguam pertinent, voce unanimi comprobatis; uno scilicet Annæ Terefæ Crebsin, à sex mensium paralyfi & atrophia in lævo brachio percussæ, quæ sub finem novemdiæ jejunii à se instituti in honorem beati Johannis, momento citius convaluit; altero vero in septenni puella Rosalia Hodanckiana, noctu in flumen Wactavam lapsa, quæ ejusdem viri Dei patrocinio à matre implorato, post horæ spacium ex aquis, ubi mersa jacuerat, incolumis educta est: nos Johannem Nepomucenum, ob servatam legem arcani confessionis sacramentalis violenta nece perentum, consueto Ecclesie Romanæ ritu in Sanctorum Christi martyrum canonem referre decrevimus: pro quo referendo carissimus in Christo filius noster Carolus VI. Imperator electus, Hispaniarum Catholicus & Romanorum, Hungariæ ac Bohemiæ Rex illustris, & carissima in Christo filia nostra, Elisabetha Christiana ejusdem Caroli uxor, & Amalia vidua claræ memoriæ Josephi olim Imperatoris electi, itidemque carissimus in Christo filius noster Fridericus Augustus Poloniæ Rex illustris, compluresque S. Romanæ Ecclesie Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi & Germaniæ Principes ab initio causæ supplices preces huic Apostolicæ Sedi porrexerant, quasque jam porrigit venerabilis frater Ferdinandus Archiepiscopus, & præ cæteris dilecti filii, capitulum & Canonici metropolitanæ Ecclesie Pragensis, eximia & plane singulari erga collegam suam devotione inflammati.

In tribus ergo consistoriis & plenario conventu eorundem venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesie Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum Romæ præsentium, universis ad beatum Christi martyrem Joh. Nepomucenum

IX.

Sanctorum
martyrum
canoni ad-
scribitur.

pertinen-

ANNO
1728.

pertinentibus pro more discussis, unanimi sententia, per Apostolicæ Sedis notarios coram nobis excepta, post tantæ rei perficiendæ solemnem diem indicatam, perque orationes, jejunia & elemosynas omnipotentis Dei opem in tanta absolvenda ferventissime imploratam, omnibus, quæ ad antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum constitutiones & sanctæ Romanæ Ecclesiæ disciplinam agenda erant, summa religione peractis, hac ipsa die in honorem beati Josephi confessoris & Deiparæ sponse Deo sacra, una cum jam dictis venerabilibus fratribus nostris sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, & maxima utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Lateranensem Deo supplicantes convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro Christi famulo Johanne Nepomuceno Sanctorum martyrum canoni adscribendo per dilectum filium nostrum Michaelen Fridericum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Tituli sanctæ Sabine Presbyterum Cardinalem ab Alhan nuncupatum, repetitis precibus exorati, post cantatas facras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime invocaram, ad honorem sanctæ & individue Trinitatis, fidei catholicæ exaltationem, & Christiani nominis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii & Spiritus sancti & beatorum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra, de eorumdem venerabilium Fratrum nostrorum S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum, nobiscum in plenario conventu basilicæ Lateranensis presentium, consilio & unanimi consensu, beatum Johannem Nepomucenum, Ecclesiæ metropolitanæ Pragensis in Regno Bohemiæ presbyterum & canonicum, de cujus sanctitate, martyrio, causa martyrii & miraculis plene constabat & constat, Sanctorum martyrum canoni adscribendum decrevimus & definivimus, prout presentium tenore decernimus, definimus & adscribimus, eundemque per omnes Christi fideles, tanquam vere Sanctum & Christi Martyrem, honorari mandavimus & mandamus, statuentes, ut in Ecclesia universali aedæ sacre & altaria, in quibus incruentum sacrificium Deo offeratur, in ejus honorem contrui, & quotannis decimo septimo Kalendas Junias solemnia ejus, ut sancti Christi Martyris, celebrari possint.

X.
Indulgentiæ
vificantiis
Johannis
exuvias,
concessit.

XI.
Missa in honorem sancti Johannis à Summo Pontifice solemniter celebrata.

XII.
Deus honorificandus pro sancti Johannis patrocinio nobis coelestis caro.

Insuper eadem auctoritate omnibus Christi fidelibus vere pœnitentibus & confessis, qui eodem festo die in memoriam beati Christi Martyris Johannis Nepomuceni quotannis ad sacras ejus exuvias, quæ Pragæ in aedæ principe, in honorem beati Viti martyris Deo sacra, adservantur, venerandas accesserint, annum & quadragenam; iis verbò, qui in octava ejusdem diei festi, quadraginta dies de injunctis seu quomodolibet eis debitis pœnitentiis misericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus.

Postremo gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc, novoque luminari illustrare voluisset, cantata in honorem sancti martyris Johannis Nepomuceni solemnè oratione, in ara maxima basilicæ Lateranensis sacrosanctum missæ sacrificium celebravimus cum ejusdem Martyris commemoratione, omnibusque Christi fidelibus tunc presentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus.

Decet igitur, ut pro tam peculiari, magnoque beneficio coelitus nobis concessio omnes benedicamus in trinis personis unum Deum, bonorum omnium auctorem, cui est honor & gloria in secula, assiduis precibus ab eo flagitantes, ut per intercessionem electi sui martyris Johannis Nepomuceni à peccatis nostris indignationem

suam avertens, ostendat nobis faciem misericordiæ suæ, immitatque timorem sui super gentes, quæ non cognoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noister.

Sed quia difficile foret, præsentibus nostras litteras, ad singula loca, ad quæ opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem ubique fides habeatur, quæ ipsi presentibus adhiberetur, si essent exhibitæ vel ostensæ.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ definitionis, decreti, adscriptionis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Petrum anno incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo vicesimo octavo, quartodecimo Kalendas Apriles, Pontificatus nostri anno quinto.

† Ego Benedictus Catholicæ Ecclesiæ
Episcopus.



†
†
†
† Ego Petrus Episcopus Sabiniensis Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
† Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardinalis Corfinus.
†
† Ego Joseph Renatus Tituli S. Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
†
† Ego Annibal Tituli sancti Clementis Presbyter Cardinalis S. Clementis S. R. E. Camerarius.
† Ego Ludovicus Tituli sanctæ Praxedis Presbyter Cardinalis Picus de Mirandula.
† Ego Johannes Antonius Tituli S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis de Via.
†
† Ego Antonius Felix Tituli sanctæ Balbinæ Presbyter Cardinalis Zondadarius.
† Ego Petrus Marcellinus Tituli S. Mariæ Transiberim Presbyter Cardinalis Corradinus.
†
†
† Ego Curtius Tituli S. Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.
† Ego Melchior Tituli sanctæ Mariæ Angelorum Presbyter Cardinalis de Polignac.

ANNO
1728.

XIII.
Hæ litteræ
ubique fides
obtineant.

XIV.
Nemo hanc
paginam in-
fringere au-
deat.

14. kal. Apris,
1728.

ANNO
1728.

- ✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis Spinula,
- ✠ Ego Julius Tituli Sancti Chrysoconi Presbyter Cardinalis Alberonus,
- ✠ Ego Cornelius Tituli Sanctae Ceciliae Presbyter Cardinalis Bentivolus de Aragonia.
- ✠ Ego Ludovicus Tituli Sanctae Priscae Presbyter Cardinalis Belluga & Moncada.
- ✠ Ego Michael Fridericus Tituli Sanctae Sabinae Presbyter Cardinalis de Althan,
- ✠ Ego Alvarus Tituli Sancti Bartholomaei in Insula Presbyter Cardinalis Cienfuegos.
- ✠ Ego Bernardus Maria Tituli Sancti Bernardi ad Thermas Presbyter Cardinalis de Comitibus, major Poenitentarius.
- ✠ Ego Johannes Baptista Tituli Sancti Matthaei in Merulana Presbyter Cardinalis de Alteriis.
- ✠ Ego Vincentius Tituli Sancti Onuphrii Presbyter Cardinalis Petra.
- ✠ Ego Prosper Tituli Sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Marefusus.
- ✠ Ego Frater Augustinus Tituli Sanctae Mariae super Minervam Presbyter Cardinalis Pipia.
- ✠ Ego Nicolaus Tituli Sanctae Mariae in Domnica Presbyter Cardinalis Coscia.
- ✠ Ego Nicolaus Maria Tituli Sanctorum Johannis & Pauli Presbyter Cardinalis Lercarius.
- ✠ Ego Frater Gregorius Tituli Sancti Augustini Presbyter Cardinalis Selli,
- ✠ Ego Frater Vincentius Ludovicus Tituli Sancti Pancratii Presbyter Cardinalis Gotti Ordinis Praedicatorum.
- ✠ Ego D. Leander Tituli Sancti Calixti Presbyter Cardinalis de Porzia Ordinis Sancti Benedicti.
- ✠ Ego Petrus Aloysius Tituli Sancti Laurentii in Pane & Perna Presbyter Cardinalis Carafa.
- ✠ Ego Joseph Tituli Sanctae Mariae de Transpontina Presbyter Cardinalis Accorambonus.
- ✠ Ego Benedictus Sanctae Mariae in Via Lata Diaconus Cardinalis Pamphilius.
- ✠ Ego Laurentius Sanctae Agathae ad Montes Diaconus Cardinalis de Alteriis.
- ✠ Ego Carolus Sancti Angeli in Foro Piscium Diaconus Cardinalis Columna.
- ✠ Ego Fabius Sanctorum Viti & Modesti Diaconus Cardinalis de Abbatibus Oliverius.
- ✠ Ego Alexander Sanctae Mariae in Cosmedin Diaconus Cardinalis Albanus.
- ✠ Ego Alexander Sanctae Mariae de Scala Diaconus Cardinalis Falconerius.
- ✠ Ego Nicolaus Sanctae Mariae ad Martyres Diaconus Cardinalis Judice.

Bullarium Romanum Continuatio Pars IV.

ANNO
1728.

- ✠ Ego Antonius Sancti Nicolai in Carcere Diaconus Cardinalis Bancherius.
- ✠ Ego Carolus Sanctae Mariae in Porticu Diaconus Cardinalis Collicola.

J. B. Archiepiscopus Nisibenus
Subdatarius.

VISA

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus,
L. Martinettus.

Registrata in Camera Apostolica.

Felix Franciscinus R. C. A. Secretarius.

Constitutio, quae varia decreta, ordinationes & provisiones pro recta in Curia Urbis iustitiae administratione complectitur, atque etiam pro publicis tabulis, instrumentis, aliisque scripturis ad rem alienam pertinentibus in codices & protocollo plenè redigendis, inque Archivo Urbano pro eorum perpetua & fidei custodia reponendis.

XLIII.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Quum nostrum in primis officium sit providere, ne ea, quae à Romanis Pontificibus Antecessoribus nostris optima ratione constituta fuerunt, sensim labefactentur & pereant; idè Nos, pro communi bono vigilantes, eam pariter curam peculiarem, ac Nobis quasi propriam ultrò suscipimus, ut sedulo caveamus, ne ulli ex litigantibus, praesertim pauperibus, in causis pertractandis exagitentur; sed recta atque interemerata iustitiae administratio in omnibus hujus Almae Urbis tribunalibus exerceatur, quò ex totius Mundi partibus causae, sub oculis nostris aequa lance finiendae, concurrunt.

Hæc non ita dudum memoria repetentes, Constitutionem nostram incipientem: *Summi Apostolatus*, promulgavimus Pontificatus nostri anno secundo, quâ decrevimus & stabilivimus, ut quolibet decennio evoluta, deinceps à Nobis & Successoribus nostris Romanis Pontificibus hujus S. R. E. Cardinalis eligeretur, cujus præcipuum & speciale munus esset invisere Officia, Archiva, & Curias Urbanas, ac defectus & observantiam recognoscere dispositionum & reformationum, quas iidem Romani Pontifices, boni publici incrementum respicientes, de iisdem Officiis, Archivis & Curias edi hætenus curaverunt: ad quem etiam Cardinalem Visitatorem rectæ & celeris causarum expeditioni consulere pertineret, praesertim ubi de pauperibus ageretur, qui nulla ope suffulti, interdum à potentioribus obruntur, quique Visitator etiam omnem curam impenderet, ne litigantes indebitè opprimerentur. Quamobrem eidem Cardinali Visitatori in dicta Constitutione nostra complures facultates, huic muneri congruas & necessarias, auctoritate nostra concessimus, præcipue verò condendi Decreta & quascumque ordinationes, quæ in actu Visitacionis opportunè viderentur, volentes tamen, ut post peractam hujusmodi Visitacionem ea nobis referret, quæ ipse altiori consilio egre animadverteret. Facultates verò in toto sua Visitacionis cursu vim & robur habere mandavimus; licet dilecto Filio Vincentio tituli Sancti Onuphrii Presbytero Cardinali, Petra nuncupato, ob doctrinæ præstantiam, egregiamque rerum agendarum peritiam & probitatem, per Nos huic

U u

muneri